

Ms. N. II 42.

h. 5. 16.

II k  
2960

ILLVSTRI IUVENI,  
GENTIS SVAE ORNAMENTO,  
DOMINO  
LVDOVICO BERNHARDO

S. R. I.

L. B. DE ZECH,

QVVM

PROSCRIPTIONEM STATVVM IMPERII  
SOLENNI DISPV TATIONE  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO PRAESIDE

EXPONERET,

EA, QVA PAR EST, ANIMI PIETATE GRATVLATVR;

SIMVLQVE.

DE VSV

IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS  
IN CAVSIS PVBLICIS ET ILLVSTRIBVS,

HODIERNI INPRIMIS BELLII,

QVOD

REGES GALLIAE, HISPANIAE ET SARDINIAE  
ATQVE INFANS HISPANVS  
IN ITALIA CONCITAVERVNT,

DISSERIT

HAVBOLDVS ERNESTVS LICHTENHAHNVS

REV. AC SER. DVC. SAX. MERS. CAVSAR. CAMER. PROCVRATOR.

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFIANIS.





uanquam iuris feudalis disciplina per se est amabilis ac fructuosa, ILLUSTRIS BARO, plurimum tamen ei & utilitatis & iucunditatis ex ipsis gentium controuersis & iuris, quod uocant, publicis materiis accedere, non est dubitandum. Nulla enim fere causa dici potest, quae inter principes populosque tractatur, in qua non nobilissima illa iurisprudentiae pars, quae a feudis nomen accepit, insignem usum praestet; aut, si quam non poterit afferre utilitatem, quod quidem raro accidere puto, non leuem tamen praebet illustrationem, ut, si quis lumen eius demere velit, solem de orbe auferre videatur.

Quae si quis accurate expenderit, illud mihi facile concedet, nihil magis iis, qui in pernoscendo iure publico feliciter versari, & ultra vulgus sapere cupiunt, commendandum esse, quam ut feudorum placita sollicitè inuestigent, totoque animo huic studio incumbant. Equidem is ego non sum, qui omnes eiusmodi contentiones ac lites sola lege aut consuetudine feudali decidi affirmem, & reliquas

iuris partes, illaque adiumenta, quibus in causis illustribus carere non possumus, excludam. Longissime enim ab eorum errore absum, qui omnia, quaecunque in libellis feudalibus inuenerint, nulla ipsius gentium ac terrarum conditionis, nulla patrum, nulla denique historiae monumentorumque ratione habita, ad publicorum negotiorum disceptationem incogitate applicant: vehementerque improbandus est inueteratus ille mos commentatorum, qui de feudis scribentes multa ubique admiscunt, quae ad ea minime pertinent, quaeque potius ad alias iuris partes referri deberant. In ea tamen sententia indies magis magisque confirmor, tam arcto iura rerumpublicarum & feudorum inter se vinculo ac Societate coniungi, ut in illis, qui eximium aliquid velit efficere, ab his saepissime opem atque auxilium requirere necesse habeat. Subiiciamus oculis, quae a Iureconsultis de variis feudorum generibus ac formis, de accessionibus feudorum, de inuestitura, de alienationibus & oppignorationibus, de matrimonio, de dote ac dotalitio, de apanagiis, de Regalibus, de seruitiis, & quae primo loco nominari debuisset, de locupletissima illa successionum materia, traduntur. Quam multa, quam egregia & praestabilia omnibus iis aliisque id genus doctrinis continentur, quae in causis illustribus utramque paginam faciunt, & operae bene accurateque nauatae fructus reddunt uberrimos!

Nemo

Nemo haec, credo, negabit, praesertim hoc tempore, quum Imperator Augustissimus pro eo, quo pacem ac tranquillitatem patriae complectitur, singulari & summis ad omnem vsque posteritatem laudibus praedicando amore, Sanctionem pragmaticam edidit, multarumque nobilissimarum nationum consensu ac suffragio aduersus maleuolorum minas & machinationes solertissime muniuit. Spondeo autem in meque recipio, nullum fere ex saluberrima illa lege articulum proponi posse, nihil ex omnibus istis, quae de illa non sine multis contentionibus acta sunt, dici aut afferri, vbi non iuris feudalis scientia, non dicam aliquem, sed egregium plane & admirabilem vsum praestet.

Quantus est eorum negotiorum, quae in Comitibus atque Supremis Imperii tribunalibus geruntur, numerus, quanta litium moles, in quibus plurima disputantur, quae absque legum feudalium praesidio erui aut iudicari nequeunt? In ipsa nostra Saxonia, quae omnibus Germaniae prouinciis in excolendo iure vniuerso, omnibusque illius partibus, palmam iamdudum praeripuit, non desunt exempla, vbi Iureconsulti nostri in vindicandis ac defendendis domus Saxonicae iuribus, quantum proficiat, doctrinas feudales bene nosse, & quanto-pere interfit, in applicandis iis caute accurateque versari, egregie ostenderunt; vt longus labor futurus esset, si quis merita illorum enumerare, iustaque praedicatione collaudare vellet. Sed nolo verbo-

fus esse in enarrandis Germaniae exemplis, in qua viuimus ac versamur, & in qua tantam controuersiarum multitudinem quotidie ante oculos habemus, vt iis percensendis tempus consumere molestum ac ingratum, omnino eas ignorare turpe futurum esset.

Nam, quod superioribus duobus annis in Italia bellum exarsit horrificum & nefarium, a Regibus Galliae, Hispaniae ac Sardiniae, foedere inito, & cooptato in illud Infante Hispaniae, qui non multo ante aduenerat, vt beneficio Imperatoris frueretur, ipsi non sine graui contumelia intentatum; non minus copiosam subministrabit differendi materiam, omnibus, qui rerum feudalium cupiditate tenentur, & non inutilem cognitu & maxime iucundam. Atque vt in hac veluti peregrinatione a Rege Sardiniae, eodemque Sabaudiae Duce, cuius ditiones Germaniam nostram proxime attingunt, plurimaeque obligatione feudali deuinctae Imperio parent, ordiar, non est obscurum aut ambiguum, illum in graue laesae fidei, quam communi patriae nostrae debet, crimen incurrisse, quum societatem bellum cum hostibus contraxerit, cumque iis, vana spe capeffendae prouinciae Mediolanensis illectus, in nobilissimas Italiae partes, Imperio eadem feudi lege subiectas, impetum fecerit. Neque parum flagitio accessisse credendum est, quod illo ipso tempore, quo fidem in Curia Caesarea solenni sacramento firmavit, iniqui foederis cogitationem non modo

animo

animo & visceribus conceptam, sed etiam omnibus prope numeris perfectam & absolutam habuerit. Multa praeterea sunt, quae improbitatis turpitudinem augent. Spretae Imperatoris admonitiones, edicta eius in Italia emissa prohibitoria & auocatoria eo, quo decebat, obsequio non excepta, obitum supremi belli ducis munus, dignitas & titulus ab hostibus acceptus, omnis beneficiorum & regionum, aduersus Gallorum inuasionem tot tantisque sumptibus aliquoties seruatarum, memoria plane deleta & abolita; quae omnia quominus vasallo conueniunt, eo magis animaduersionem iustam atque ad talia facta accommodatam exposcunt.

Iam non quaeram, vasallus vtrum beneficiis, quae ab Imperio tenet, ipso iure exciderit, an sententiam declaratoriam praecedere necessarium ac iure constitutum? priuationem an contra inauditum indemnatumque, si de delicto palam constet, nullaque facti excusatio fingi aut excogitari possit, discernere liceat? quae de Sabauda in nouissima Capitulatione cauta & conscripta sunt, num amiserit? quomodo distent proscriptio, & quae feudum vasallo eripiendum censet, Sententia? In proscriptioe ac feudi priuatione aduersus vasallos Italicos quis procedendi modus; quae ratio iudicii? ordinesne Imperii nostri in societatem consilii ac ferendae sententiae vocentur? In omnibus istis, nisi valde fallor, feudorum leges necessarium habebunt vsu certumque praesidium. Quodsi concesserimus,

mus, excufationum allegationi locum esse, annon vasallum audiendum putabimus, qui, nisi foediffimi belli focius factus esset, maximum sibi ab incursionibus Gallorum metum futurum fuisse; Gallos omnes suas possessiones occupaturos; caedes, vastitatem, ruinas beneficiis suis imminere; tardam, faepius etiam inanem auxiliorum Germanicorum esse expectationem, obtendet? Factine culpam in eo nullam esse arbitrabimur, qui se non tanquam vasallum, sed tanquam Regem nulli obnoxium potestati dimicare, non cum Imperatore & Imperio, verum cum sola domo Austriaca de sua foederatorumque causa decertare allegabit? qui nullas sibi cum Imperio eiusque ordinibus offensiones intercedere, ad fidem, religionem, amicitiam, qua Germaniae obstrictus est, colendam se adhuc paratum, a sola aula Viennensi se & socios laesos iniuriaque affectos, sibi foederis bellique ineundi ius omnino esse, illudque se pro tuenda sua & amicorum causa vsurpasse profitebitur?

Denique non est nobis tacendum de nobili illa & praeclara quaestione, vasallum, si feloniae scelus perpetraverit apertum, indubium, aequa vlla excufatione neque expiandum nec molliendum, gratia poenae facta, annon inuestiturae renouationem petere oporteat? Sed non opus est, de causa Sabaudica vt pluribus dicam. Magna enim spes est, eaque non obscuris rumoribus neque contemnendis rationibus sustentatur, fore, vt quamprimum aliqua victoriae



riae Caesareae probabilis expectatio & fiducia adsit, quam omnes boni augurantur, & omnibus votis expectunt, Regem Sardiniae consiliorum, quorum administrator adhuc & comes est, poeniteat, ipseque ab hostibus discessionem faciat, fidem Imperio debitam redintegret, pristinorum officiorum intermissionem, conuersis in hostes armis, vberiore opera atque studiis compenset. Quod si contigerit; de omnibus illis, quas proposui, quaestionibus non amplius laborabimus, vasallumque deposito errore aduersariorum castris excessisse, auctoritatem Imperii agnouisse, cohortationibus Imperatoris, impetrata facti venia & impunitate, esse obsequutum contenti erimus.

Verum quando, Sabaudia relicta, Florentinas ac Parmenses terras attingimus, quarum hereditatem Infanti Hispano delatam, non materno quidem iure, sed Imperatoris voluntate, approbante vniuersae Germaniae Senatu, accedente nonnullarum gentium consilio & suasu nouimus, quid, quaeso, hac de causa aliquot per annos in Caesarea caeterisque aulis actum fuit, quod non in iurisprudentiae feudalis caput quoddam incidat? quam ego quidem totam in hac negotii celebritate ac nouitate, cuius acta & instrumenta egregiis doctissimorum hominum laboribus illustrata oculis nostris obuersantur, lubens omitterem, nisi instituto nostro tantopere inferuiret, ac non leuem enascendorum fructuum significationem, si huius causae cognitione, tanquam salubri aqua, hortos nostros & pasua feudalia irri-

B

gaueri-

gauerimus, ostendere possemus. Multa insunt in iis tabulis, quibus regionum Florentinarum & Parmensium promissio continetur, singularia prorsus, & accurata commemoratione digna: multa in ipsa negotii tractatione acciderunt a primis illius incubulis, quum de opima successione agi coeptum est, vsque ad belli praesentis tempora, quae iuris beneficiarii auctoritatem, dignitatem, usum, mirifice declarant. Ut praetermittam, non nudam promissionem decretam, sed coniunctam cum investitura euentuali, literis Imperatoris comprehensa, ea quidem lege, vt, feudis apertis, actualis, quae dicitur, inuestitura peteretur; potestatem per procuratorem accipiendi, praeuia dispensatione, datam; promissionem non absolutam, sed ad casum, si possessores sine prole mascula decesserint, restrictam; facultatem Infanti asserendi sibi possessionem & administrationem concessam: quae omnia paullo frequentiora & vsitatiora sunt in istiusmodi causis feudilibus.

Longe illustriora ac praestabiliora sunt illa: dominium directum Imperio nostro vindicatum, a praecipuis Europae gentibus agnitum, non nouum illud quidem, sed reuocatum tantummodo, restauratum, partim iniquis possessorum vsurpationibus, partim Pontificum non impediens minis & machinationibus, extortum: libertas ac summa potestas, quam possessores affectauerant, adempta & euerfa; quae illi, vt spem aperturae tollerent, egerant,

rant, annihilata atque irrita existimata, omnia Imperii iura salva, rata & in tuto collocata. Tum & haec: expectatiuam non in solum Infantem, Reginae Hispaniae filium natu maximum eiusque posteros masculos, sed etiam his deficientibus in reliquos Reginae liberos, & qui ex his nascituri essent masculini sexus, fuisse collatam, ut perpetuo iure primogeniturae secundum leges & consuetudines Imperii feudales succederent: non sola Imperatoris gratia, neque ad solas vasalli noui preces, sed instantibus & conspirantibus vicinis principibus, quorum intererat, pacem in Italia seruari, solenni conuentione, iteratis etiam postmodum pactionibus, impetratum: cum, vt Hispaniae Rex prouinciis in Italia, quas ab Austriacis repetebat, cederet; tum, ne post excessum possessorum feralis belli flamma excitaretur, quum facile esset ad iudicandum, neque Germanos iura sua dimissuros, nec Hispaniae Reginae defutura, quibus ius quoddam successionis effingeret: tum denique, vt Germania ac domus Augustissima patrimonii lautissimis accessionibus aucti inuidiam effugeret. Praeterea de formula inuestiturae inter easdem gentes conuentum esse, beneficii promissio ne possessoribus, dum viuerent, fraudi ac damno esset, atque ne vllus vnquam Hispaniae Rex haec Italiae feuda vna obtineret, aut vasalli tutelam susciperet, cautum: militem immisum, qui vasallo nouo securam praestaret possessionem: Infantem a Rege patre emancipatum, vt aliis

tutoribus ab Imperatore dandis locus esset: curam Infantis minoris tum auiae maternae, tum vltimo possessori, Magno Etruriae Duci, demandatam: Galliae ac Britanniae Reges spondidisse, operam se duros, vt omnia, quaecunque inuestiturae tabulis expressa & consignata essent, adimplerentur: vt consensus non solum Electorum ac Principum, sed omnium Imperii ordinum accederet, curam Imperatorem in se suscepisse: consensum non eo tempore, quum de beneficio conferendo ageretur, expetitur, sed omnibus demum peractis subsequutum fuisse.

Beneficio hac tam clara lege, tam multiplici cautione, tot potentissimorum principum constanti voluntate definito, circumsepto ac munito, quis vnquam, non dicam coniiciendo, sed opinando in eam cogitationem venisset, breuissimo temporis interuallo futurum, vt omnia ista seruo, multis studiis, non vnus anni laboribus, vna omnium mente ac voce gesta atque perfecta, ab Hispanis rescinderentur & Imperatoris munificentiae, faeuissimo omnique crudelitate imbuto bello, Italiae illato, gratia velut referretur? Potestne igitur cuiquam, qui eo in patriam animo est, quo debet, aut qui harum rerum sensu aliquo mouetur, dubium esse, Infantem, consiliorum hostilium participem, belli socium, improbitatis satellitem & adiutorem, qui vix ad vnus beneficii fruitionem ex Hispania in Italiam aduectus nouas res in altero molitur, omnia  
in

in vtroque miscet ac perturbat, grauissimum bellum Domino gratiae auctori & effectori denunciat; fidem datam violasse, sanctissimam beneficii legem foedasse, vt quauis placitorum feudalium feueritate atque acerbitate in eum animaduertatur, promeruisse? Non ipsius belli magnitudine, non multitudine sociorum, non praemeditorum funestissimorumque consiliorum atrocitate delictum intolerabilius fieri vrgebo, sed ipsius temporis ratione absoluitur, tantumque efficitur, vt nihil fere ei possit addi. Vasallum tam recentis gratiae memoriam exuere, quum vix eam ingressus esset aetatem, vt intelligere posset, quantis honoribus, qua dignitate exornaretur, quis ferret? quis non istam repentinam obliuionem acerrimis iudiciis multandam censuerit? At obliuionis crimen, credo, aetas lubrica & imbecillis diluet. Vere crederem, nisi, quod aetati deest, suppleret facti grauitas.

Similis est dubitatio, feloniae scelus num in vasallum cadat, qui nondum actu inuestitus est, iusiurandum de colendo domino ac fide seruanda nondum iurauit, personam vasalli nondum vere induit? Eademne habeatur eius, qui feudi vsuram ac possessionem sperat, obligatio, quae ipsius vasalli? eadem fidei religio, idem obsequium, reuerentia, crimen, poena? Est etiam de quo quaeramus, haec feloniam an fratribus posterisque noceat, ad successionem literis Caesareis aequae vocatis, in fontibus, ab omni labe ac impuritate immunibus? in hoc vasallo,

totaque eius familia num sempiternum periculum pertimescendum propter arctissimam cum Borboniis sanguinis coniunctionem, consilia communia, communem ac aeternam aduersus Germaniae salutem & domus Augustissimae honores coniurationem? propter iniustissimas & insatiabiles spes, quibus Galli vniuersam Germaniam & Italiam iamiam sibi deuoratam credunt, quibus patrimonio Austriaco, ipsi quoque Poloniae, adeo diffitae, & ab illorum cupiditate naturae velut prouidentia longissime remotae, inhiant, cum Hispanis communicatas, quibus hi accensi non veriti sunt, futile & ridendum prope belli argumentum allegare, pro Stanislao nescio quo, cuius causae funus in Polonia iamiam paratur, in Italia se pugnare.

Antequam vero bellum hoc efflagraret, praecesserunt aliqua, quae, quo animo Infans beneficium acceperit, clarissimo sunt testimonio, in quibus quidem cognoscendis egregiae iuris feudalis scientiae non minimas partes tribuerim. Non enim tantum a Duce Parmensi, quum adhuc in viuis esset, sed etiam a Magno Etruriae Duce, omnium iurium ac potestatis, quam vterque in suis terris habere gloriabatur, cessionem sibi fieri curauit, vt non Caesaris ope ac beneficio, sed hereditario iure & ab vltimis possessoribus in se transmissio, pleno omnibusque numeris absoluto, ad successionem peruenisse videretur. Idem, vt, conculcato Imperii beneficio, omne ius suum a Florentina cessione deriuari

uari se velle, & nescio quam potestatem liberam affectare apertius constaret, inscio ac inuito domino directo, magni Etruriae principis titulum sibi arrogavit, Florentinos, vt homagium euentuale sibi praestarent, coëgit, vasallos Parmenses, qui in terris Mediolanensibus commorantur, vt Imperatoris iurisdictioni eximeret, suae subiiceret, immutata vasallagii formula tentauit, &, si famae fides est, Ecclesiae Romanae amicitiam sibi conciliare, illiusque dominium directum, quod vsurpasse aliquando nouimus, ab inferis quasi reuocatum agnoscere in animum induxit. Quae si quis recte consideret, non potest ei non esse clarum & perspicuum, cum vasallo nobis rem esse, qui tantum Imperii beneficium tenere, quam confiteri malit; gratiam acceptam non clandestina, sed manifesta inficiatione contamine; nullum iniuriae aut peccati genus a se putet alienum.

Non pauca restant in celeberrimo isto negotio, in quibus locus aliquis est iurisprudenciae feudali, quale est illud, iurene Pontificum dominium directum, quo ecclesiae ditiones Parmenses desponsas contendunt, repudiatum? quum nullus alius adfit commenti huius color aut titulus, solone temporis munimento ecclesiae causa iuuetur? praescriptione quid effici possit in tali materia? quid protestationibus? vtrum Germaniae intersit, feudorum Florentinorum ac Parmensium vindicationem institutam fuisse? quod initium recuperati ab

Impe-

Imperio dominiū constituendum, num a pristina vigentis adhuc Imperatorum nostrorum in Italia autoritatis aetate repetendum, annon in ipsis in itae conuentionis, vel aperturae demum temporibus ponendum? praeter dominium directum vtrum summa ipsa maiestas omnisque complementum potestatis instrumento inuestiturae Imperio retentum intelligatur? feuda, quae Farnesii in regno Neapolitano possederunt, num diplomate illo solenni ad Infantem translata censeantur? consensum possessorum viuentium requiri, quae necessitas, quae iuris aut consilii ratio postulauerit? quid de laudemio a nouo candidato persoluendo actum? Recte ne a domino directo aetatis venia petita? Ipse vassallus an in minorennitate finienda autor sibi esse, sprete domini voluntate, tutorum potestate, potuerit? eundemque posteris suis constituere terminum?

Sed relinqueremus ingratum vassallum, nisi ipse nos ad vltimas vsque Italiae regiones, in hac feudorum, itinere quasi instituto, contemplatione abduceret. Non contentus talia tantaque in media Italia aduersus Imperium nostrum perpetrasse, maximam vim belli proximo anno in Neapolitanum regnum conuertit & Austriacae dominationi, (de Sicilia ne quid dicam,) eripuit, vt haberet, vbi, quam dicto esset audiens praeceptis maternis, expromeret, vbi maiestatem ac regiam dignitatem a primis annis venis ac medullis conceptam, fotu ad ministrorum Hispanicorum, ac mollibus aliquarum gentium



gentium sententiis, quibus occultas belli cogitationes non credendo corroborauerunt, nutritam, fortuna belli obstetricante in hac aetatis maturitate in lucem ederet, hoc non vnus anni onere se leuaret, prodigioso partu Italiam, propitiis, vt puto, ominibus, reficeret atque exhilararet. Itaque crimini per se graui & inexpiabili hoc facinus quum accesserit, quae spes aut fiducia deprecandae feloniae reliqua esse potest, quae non ipsi beneficio illata iniuria exsatiatur, sed Austriae gentis quoque patrimonia appetit, vniuersae Italiae dominatum, nequid amplius dicam, inexhausto cupiditatis gurgite anhelat? Regnum Neapolitanum in hac quamuis acerba & iniucunda peragratiōe quum intrauerimus, dulce tamen quodammodo erit, feudalis disciplinae pulcherrimam effigiem ac simulacrum oculis intueri. De dominio directo cuius honore & autoritate Pontifices regnum amplecti se & protegere aiunt, quod iudicium ferendum? verumne ac precarium, a familia Augustissima, quae regno, nulla ecclesiae Romanae ope fulta, vnica virtute armorum ac propria iuris tuitiōe potita est, non agnoscendum quidem, adhuc tamen cultum & pro temporum ac rationum conditione in honore aliquo habitum? annon vetus illa regula, quae regni Neapolitani possessorem quoduis aliud regnum capeffendi facultate priuat, nisi fiat Pontifice sciente & volente, adhuc persistet? Quod si verum & stabile esset dominium directum; quid de Pontifice dicemus, quem tantum abest, vt vasallum, cui nullum adipisci poterat numine, maiestate, autoritatis

ritatis splendore parem, iuuet ac protegat, omni potius consilio, studiis & opibus aduersarios fouere, omnia pro iis libenter facere, militi Hispano transitum per ecclesiae terras permisisse, Austriacis ipsum etiam aditum & com meatum denegauisse, hostium vires sacrarum aedium re ditibus alere constat? His enim omnibus admissis, quale potest Pontificii in regno iuris aut domini vestigium remanere? Illud quoque non inutile quaesitu erit, illane cessio iniqua equidem & omni iure destituta, qua Rex Hispaniae regnum hoc vna cum Sicilia, filio Infanti adscripsit, volente & approbante Pontifice credatur esse facta? quae pro regni vasallis afferri queat excusatio, qui falso Regi, siue depraedationis timore, siue studio nouarum rerum adducti, cultum, honorem, venerationem offerunt, fide & officiis eum prosequuntur?

Redeuntibus ab extremis Italiae regionibus, omnibus belli partibus perspectis, quum plurima sese obiciant, quae nos allicere vel retinere possint, (late enim patent scientiae feudalis campi,) non infrugiferum esset, in ceteris Italiae statibus inuisendis, qui Imperii legibus aequae ac Sabaudi & Infantis ditiones subsunt, & ab eo spiritum ac vitam trahunt, auiditati nostrae satisfacere. Neque, arbitror, a nostro instituto alienum esset quaerere, quatenam illi status Imperio nostro, hoc bello, officia debeant, quae seruitia iis indicenda? in horum locum an pecunia ac tributa irrogari possint? fugerene liceat vasallo, imminente hosti feuda diripienda relinquere?

Sed

Sed breuiloquentem me facit materiae vbertas, cui harum literarum modus neque sufficere omnium rerum accurata enarratione potest, nec elocutione ac stilo respondere. Vnum illud properanti non est silentio praetermittendum. Quorsum haec? obiicient malae causae patroni. De iure feudali laborabimus? Iureconsultorum sententiam exquiremus? horum opem & praesidium implorabimus? qui non stilo, non forensibus iurgiis aut declamationibus, sed belli ac proeliorum virtute omnem rem conficimus, confectam manibus tenemus. Cum hoste, quae esse potest disceptatio, nisi armorum? quis in dimicando iuris aequitatisque vsus? Concedam aliquam vim esse huius argumentationis: Verum omnia bello decidi ac definiri, omnes iuris ac iustitiae fores armorum ferocitate occludi, nemo vnquam erit, qui mihi persuadeat. Non vnus belli fortunam hac nostra aetate, experti sumus; hostem in ipsam Saxoniam impetum molientem vidimus, sapienti demum consilio a flamma, & internecone abductum. Nullum tamen illorum bellorum initum vel transactum est, cui aut parando aut defendendo Iureconsultorum industria velut in auxilium vocata defuerit. De ipsa beneficii Infantis Hispano decreti causa, quid non a viris doctissimis scriptum? vt ab iis, qui omnem iurisprudenciae dignitatem ac lumen belli tenebris & caligine extinguunt putant, nihil amplius ad sententiam mutandam desiderari possit.

Quod quum ad Te scribo BARO ILLVSTRIS, praeclarissimo Fratris Tui simillimi eodemque ardore ac studio ad laudabilia quaeuis Tecum contententis, LVDOVICI ADOLPHI L. B. DE ZECH, exemplo ita possum confirmare, vt, si alia confutatione vterer, in Fratrem Illustrem impius, & eximii pro patria suscepti laboris immemor esse viderer. Hic quum, quod in Polonia constaretur non bellum quidem ab externo hoste illatum, sed intestinum ac visceribus regni enatum videret, & quae ab inimica factione in vulgus sparsa essent, oculis subiiceret, non dubitauit aestate proxima in eadem Academia, omnis iurisprudentiae altrice, in qua Tecum pari laude per quatuor annos versatus erat, Potentissimi Regis nostri causam in publica cathedra tueri, omniaque, quae ab armis & militari manu solent proficisci praesidia, voce & calamo quasi praecipere. Quantum non est iuris scientiae in eximia ista Illustris fratris Tui elaboratione? quam apte, quam concinne & enucleate legitimam Regis nostri electionem demonstrat; pietatem, clementiam, propensam in Rempublicam voluntatem cum efficiendi potestate coniunctam declarat, patriae nostrae huius gloriae immortalitatem exoptat? Quanta est vis argumentorum, qui lacerti, quod orationis robur, vbi aduersus commentitium Regem Stanislaum pugnat, quum aeterno hosti, publicis legibus damnato nihil esse iuris in appetendo regno ostendit, quum illius, qui inter regni proceres, vel inter inimicos & maleuolos potius, primas tenebat, occultas fraudes dete-

detegit, sanctitatis detrahit opinionem, omnem laboris mercedem ac fructum, cuius iacturam ipse iamiam deplorauerat, quum Varfauia aufugeret, merito amiffisse probat? Atque si a Fratре Illuſtri diſceſſero, nullum extat exemplum luculentius, quam Tuum. Pulcherimum enim certamen ingreſſus vexatiſſimam & multis dubitationibus inuolutam doctrinam, de proſcriptione Statuum Imperii, ſolenni habita diſputatione non modo in ſolem atque puluerem, ſed in ipſum diſcrimen aciemque perduxifti. Quo quidem labore Tuo egregio, quid calamus poſſet inter medias bellorum turbas, quantum honoris ac dignitatis nobiliſſima iuris aeque ſcientia in armorum conſtictationibus retineret, quam praecipuus & inſignis legum feudalium uſus eſſet, acutiſſime docuiſti.

Etiſi uero hoc induſtriae Tuae ſpecimen ipſum proſe loquitur neque laudationem admodum uidetur deſiderare, hominis praefertim iſtis ſtudiis leuiter tincti, & iudicio fortaſſe parum ualentis; facileque exiſtimare poſſum, incomparabilem ingenii foetum doctiſſimos ac praefantiffimos uiros eſſe inuenturum, qui, ſi opus eſſet, multo rectius atque accuratius, quam ego, laudationis officio deſungerentur: graues tamen mihi que minime contemnendae cauſae me impulerunt, ut gratulationem Tibi ſcriberem, eique, ne ſola ad Te perueniret, leuem hanc commentatiunculam a praeclearo themate, cui explicando operam impendere Tibi placuit, non adeo alienam, adiungerem. Quamprimum enim mihi inſpiciendae perlegendaeque dif-

fertationis copiam fecisti, ita, mihi credo, incredibili  
 gaudio affectus sum, vt nihil laetabilius ac omni in  
 vita optatius mihi accidere posse putarem. Depre-  
 hendebam multa ingenii Tui lumina, artis & iudicii  
 plurimum, seriem argumentorum natiuam, ex imis  
 vniuersi iuris visceribus depromta materiae praesidia,  
 omnia comta & exquisita, ipsum denique genus di-  
 cendi nitidum & elegans. Ego, qui Te, BARO IL-  
 LVSTRIS, a prima fere aetate cognoueram, atque ad-  
 mirabiles ingenii Tui dotes & praecocitatem dudum  
 perspexeram, certum quidem & exploratum habe-  
 bam, futurum esse, vt, si quando haec ingenita &  
 emicans naturae virtus, depositis tirociniis, grauiori-  
 bus studiis applicaretur, vberrimos fructus gigneret:  
 nunc tamen hoc pulcherrimo specimine perlustrato,  
 omnem mihi visus es spem atque expectationem no-  
 stram longe superasse. Tum & singularis Tua huma-  
 nitas ac beneuolentia, qua me, simulac Tibi inno-  
 rui, non indignum iudicauisti, ad scribendum me ex-  
 stimulauit, vt, quoniam hoc nunquam affecuturus  
 sum, vt propensissimam Tuam in me voluntatem re-  
 ferendarum gratiarum officio exaequem, aut ipse cu-  
 piditati meae pietate ac studiis omnino satisfaciam,  
 aliqua tamen publica testificatio obseruantiae meae  
 exstaret. Auxit alacritatem, quod, quum Tibi non  
 graue fuerit, ex quo in Academia iurisprudentiae  
 operam dedisti, literarum commercium mecum in-  
 stituere, si quid mihi esset dubitationis in quauis iuris  
 parte, in ea maxime, quae feudorum rationes conti-  
 net,

net, vt ad Te deferrem, lubenter admittere, mihi scrupulum eximere, aliquoties etiam Tui conueniendi copiam facere, ac me, propositis huiusmodi argumentis, sermonibus Tuis eruditissimis instruere, ego non minus Tibi fore gratum ac iucundum existimarem, siquidem in hac omnium, qui Tibi bene cupiunt, communi laetitia munusculum quoddam non a me quidem profectum, sed ex amoenis feudorum campis delibatum offerrem, vt, quales fructus ex literis & confabulationibus Tuis ceperim, significarem, Tuamque sententiam, si Tibi ita libuerit, elicerem. Sic enim, vt vides, de hoc Italiae bello, & quae cum illo esset doctrinae beneficiariae coniunctio, ad Te scripsi, non vt omnia, quae possent dici de ista materia, exhiberem, aut de quaestionibus propositis aliquid statuerem: (hoc enim a me, tali homine, omnino esse debet alienum;) verum vt ex magnifico & opiparo scientiae feudalis apparatu nonnulla decerperem, & quid harum deliciarum cupidis post leuem hanc degustationem superfit ad explendam satietatem, tantummodo indicarem.


Denique ILLUSTRISSIMI TVI PARENTIS causa mihi non fuit committendum, vt tacerem ac gratulationis officium intermitterem. Huius enim ego meique omnes tam effusam ac prolixam indulgentiam plurimis abhinc annis experti sumus, vt improbus & omnium beneficiorum immemor esse viderer, nisi, quum ego illorum magnitudini nullo vnquam tempore, cultu, reuerentia & officiis respondere possim,  
 animo

QKTH 2960 x 2380386  
 animo tamen & voce testatum facerem, quantae homini tantopere  
 deuincto esset voluptati filii Patre dignissimi summa in aequandis  
 paternis laudibus ac meritis contentio & ardor prorsus incredibilis.  
 Quamobrem nouum Tibi, BARO ILLVSTRIS, speciminis  
 editi honorem ex animo gratulor, quodque omnes boni auguran-  
 tur, vt, quoniam in hac via Te sponte processurum omnino con-  
 fidimus, non maximo solum patriae ornamento aliquando sis, sed  
 etiam gentis Tuae, cuius quidem rationes cum patriae salute &  
 commodis arctissime coniunctas nouimus, famam, gloriam, di-  
 gnitatem amplifices, omnibus, quibus possum, votis, precor atque  
 exopto. Habes plurima, quae Tibi possunt esse incitamento,  
 eaque nobilissima domus Tuae exempla, ILLVSTRISSIMVM  
 PARENTEM, Potentissimi Regis nostri in aula Caesarea Orato-  
 rem, omni mea laude maiorem: habes PATRVOS ILLVSTRIS-  
 SIMOS, alterum in aula Regia, quae Dresdae est, pro salute pa-  
 triae excubantem, alterum nostrae summum decus & ornamen-  
 tum: habes DIVVM AVVM, cuius immortalia in Rempubli-  
 cam merita nulla vnquam dies delebit, nulla aetas, in quibus in-  
 tuendis & imitandis, si, quemadmodum coepisti, omnem operam  
 omnes curas intenderis, nihil erit, quod patria de Te expectare  
 non possit. Sed neque me eges hortatore, & ipse Tecum certas,  
 & exemplo Tibi es.

Quod reliquum est, vt hanc scriptionem, quaecunque est,  
 aequi bonique consulas, omniaque maxima me consequutum pu-  
 res, si a Te ea, qua soles, voluntate acceptam esse intellexerim,  
 & vt pristinum mihi fauorem serues meque in Tuorum nu-  
 mero habere perseueres, pro ea, qua Te colo ac veneror, animi  
 obseruantia & religione etiam atque etiam peto. Vale & me meos-  
 que omnes Tibi habe commendatissimos. Dabam Merse-  
 burgi d. XXVIII. April. A. MDCCXXXV.







*B. N. II, 42.*  
*h. 5. 16.*

II K  
2960

ILLVSTRI IUVENI,  
GENTIS SVAE ORNAMENTO,  
DOMINO  
LVDOVICO BERNHARDO  
S. R. I.  
L. B. DE ZECH,

QVVM  
PROSCRIPTIONEM STATVVM IMPERII  
SOLENNI DISPV TATIONE  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
P R O P R A E S I D E

EXPONERET,  
EA, QVA PAR EST, ANIMI PIETATE GRATV LATVR;  
SIMVLQVE.

DE V S V  
IVRISPRVDENTIAE FEVDALIS  
IN CAVSIS PVBLICIS ET ILLVSTRIBVS,

HODIERNI INPRIMIS BELLI,  
QVOD  
REGES GALLIAE, HISPANIAE ET SARDINIAE  
ATQVE INFANS HISPANVS  
IN ITALIA CONCITAVERVNT,  
DISSERIT

HAVBOLDVS ERNESTVS LICHTENHAHNIVS  
REV. AC SER. DVC. SAX. MERS. CAVSAR. CAMER. PROCVRATOR.

LIPSIAE  
LITTERIS BREITKOPFIANIS.